



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De Notario conficiente instrumenta publica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

vel ab illis, ex quorum consensu actus hic dependet, rogatus ad hoc fuerit; Quartò denique requiritur, ut instrumentum scriptum coram partibus legatur (si tamen contractus ratio scripturam exigit) atque solemne Notarii Sigillum apponatur, quod quidem de jure non requiritur, ut plura alia consuetudo tamen jubet, quæ in hac instrumentorum materia multum valet.

§. III.

De Notario conficiente instrumenta publica.

UT autem legitimam auctoritatem habeat Notarius publica talia instrumenta conficiendi, debet vel à Supremo Principe aliquo, qui in temporibus Superiorem non agnoscit, vel ab aliquo speciale privilegium habente creandi Notarios, Notarius esse constitutus, vel debet hoc ipsi ab immemoriali consuetudine competere (quamvis hodiernâ consuetudine inferiores etiam Magistratus aliqui in suis territoriis Notarios constitutere possint) ita tamen, ut sit talis legitimus, matrimonio natus; liber sit, & non servus; ut sit peritus juris (quamvis ad hoc officium non requiratur Gradus Juris) ut sit Laicus (neque enim Clericis saltem in sacro Ordine constitutis convenit esse, saltem in rebus secularibus Notarios) qui tam in rebus ecclesiasticis quam temporalibus Notarii officium exercere potest, quia exerceat nudum ministerium sine omni jurisdictione; ut non sit publicè excommunicatus non toleratus &c. non potest tamen extra territorium constituentis Instrumentum fidem faciens conficere (quamvis intra territo-

rium constituentis possit etiam pro extraneis, si rogatus ab his fuerit, instrumentum conficere, extra territorium constituentis fidem etiam faciens) cùm officium publicum intra terminos Regionis illius restringatur, ubi confertur, & extra illud territorium non jam sit persona publica, sed privata; servanda tamen hac etiam in re recepta est consuetudo, quæ potestatem etiam Notarii extra territorium constituentis extendit, intra partes volentes.

§. IV.

Quam vim probandi habeant Instrumenta publica?

Original Instrumentum, legitime confectum plenè probat, & plenam fidem facit de illis, quæ dispositivè in eo continentur, non tantum pro proferente tale instrumentum, sed etiam contra proferentem c. 1. & 2. h. ob præsumptionem, quam pro se habent talia instrumenta, quin etiam protocollum, si Notarii manu scriptum sit, ex rogatione partium plenam fidem facit de actis, quæ ex eo plene intelligi possunt (quia Matrix quasi est, seu archetypum, ex quo extrahitur Instrumentum, & nisi actus ad sui substantialem perfectionem scripturam requirat, ante instrumenti perfectionem nondum perfectus) ita quidem, ut si dubium occurrat in instrumento, quod ex protocollo solvi possit, standum sit protocollo; & si si fortassis Notarius qui protocollum confecit, ante instrumenti confektionem mortuus sit, possit, si partes consentiant, alius Notarius cum auctoritate iudicis ordinarii, instrumentum ex relicto protocollo conficere, ut constat ex c. cum P. 15. h. 2.

Tit 2

§. V.